



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

XXIX. De visitatione & reformatione diligent hospitalium, leprosariarum, & similium domorum, facienda per eos, ad quos idipsum legitime spectat, & de gubernatoribus earumdem domorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

De statu  
regulariū,  
cap. Pericu-  
lo, in 6.

ANNO  
CHRISTI  
1517.

Prouideant etiam episcopi, vt illud salubre ac frugiferum decretum, incipiens, Periculo, in eo præsertim, quod continet de clausura perpetua monialium, seruetur, ac perpetuo custodiatur. Nihil enim magis officit regulari monialium disciplinæ, spiritualique profectui, quam referatis claustrí septis, portisque pro cuiusque earum nutu patentibus, frequens & licentiosa extra monasterium euagatio, & tamquam ruptis obicibus, dissoluta ac insolens ultra metas conuentus eruptio. Siquidem exinde dedecora ea enascitur earum cum laicis personis tam viris quam mulieribus conuersatio: & præter cetera salutis animarum detrimenta, ingens in præcipiti pendens earumdem castitatis periclitatio.

### XXIX.

Cum autem ea, quæ ad certum vsum pium sint largitione fidelium destinata, non debeant in aliud vsum conuersti: præcipimus, iuxta Concilium Viennense, xenodochia, leprosarias, eleemosynarias, & alia hospitalia, quocumque nomine censeantur, visitari & reformari per eos, ad quos id de iure statutove in locorum fundatione apposito, vel ex consuetudine præscripta, aut priuilegio sedis apostolicæ spectat & pertinet. Gubernatio vero viris prouidis & discretis ac boni testimonii committatur: qui instar tutorum & curatorum præstare iuramenta, ac de locorum ipsorum bonis inuentarium confidere, & ordinariis seu locis illis, quibus subsunt loca huiusmodi, vel deputandis ab eis, annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem: volentes quod hæc in prouisione seu commissione, quæ fiet de eisdem hospitalibus, exprimantur.

### XXX.

Cum ex multiplicatione confratriciarum sëpe monopolia oriri contingat, & quæ in vsus pios consumenda sunt, in crapulam conuerti videantur: siquidem dies festos confratriciarum, non aliter se confratres digne celebrare putant, nisi comedationibus & ebrietatibus deseruant: sacro approbante Concilio, sub poena excommunicationis inhibemus: ne aliqui, cuiuscumque status extiterint, confratrias erigere, & de nouo instituere, sine episcoporum expresso consensu & approbatione, audeant. Antiquas autem, quas per episcopos institutas aut aliter approbatas fuisse